





8703.

Q. D. B. V.

29

1769

1

DISPUTATIO IVRIS ECCLESIASTICI

D E

SVBSELLIORVM ECCLESIASTICORVM  
COMMERCIO

Q V A M

P R A E S I D E

CHRISTIANO GOTTLIEB  
H O M M E L I O D.

TIT. DE VERB. SIGNIF. ET REGVL. IVR. PROF. PVBL.

ET FACVLTATIS IVRID. ASSESSORE

IN AVDITORIO MAIORI

DIE XXVII. OCTOBR. A. S. R. C I C I O C C L X I X

T V E B I T V R

A V T O R

JOANNES GOTTHOLD SPALTEHOLZ

PIRNA MISNICVS.

---

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACADEMIAE A TYPIS.





§. I.

Quamvis subsellia ecclesiastica cum templis proba. *Influe*sio*.*  
bilater eandem habeant originem, dum, his  
exstructis, ne in cultu diuino exercendo et ver-  
bo Dei exaudiendo alter alteri obsisteret, certa loca auditori-  
bus assignarentur, mirandum tamen est, nec iure diuino, nec  
ciuili, nec canonico expressam circa illa reperiri dispositio-  
nem. Leges nostrae Saxoniae cum in his rebus definiendis  
non minus admodum essent parcae, et de iure subselliorum  
templi frequentissimae in Consistoriis incidenter disceptatio-  
nes, ut peculiaris Ordinatio ad eas componendas ad exem-  
plum ORDINAT. IENENSIS d. an. 1676 iam editae hac de-  
re promulgaretur, vehementer optauit HORNIVS.<sup>a)</sup> Sena-

A 2

tum

<sup>a)</sup> in obseruat. Iur. Eccles. circa iura patronatus, subselliorum et sepult.  
cap. III, n. I.



tum Supremum Eccles. in Saxonia de ea quoque componenda, publicandaque deliberasse, RESCRIPTI ad Confist. Lips. d. 4. May 1753. missi verba: Wie wir nun hierauf zu Vermeidung vergleichenen Differentien und Irrungen es hierunter jetzt und künftig bis zu Errichtung einer Kirchen Stuhl Ordination folgender gestalt gehalten wîsen wollen <sup>a)</sup>. <sup>b)</sup> satis edocent. Licet vero HORNII desiderium in edenda peculiari Subselliorum Ecclesiasticorum ordinatione Saxonica haec tenus nondum fuerit expletum, nec id, quod Supremum Iudicium Eccles. animo intenderat, perfectum, nihil fecius tamen Rescriptis nouissimis, rebusque iudicatis finem controuersiarum forensium, pariter ac doctorum contentionum quam plurimarum constitutum fuisse, tum intelligemus, si ex hac materia, tam controuersa, quam dispersa ac diffusa, et a PHILIPPI in Disp. de Subsellis Templorum iejune et peruerso plane ordine pertractata, <sup>c)</sup> qua ratione ecclesiastica subsellia in commercio priuatorum sint i. e. mutua eorum communicatio obueniat, aut non, breuiter et pro instituti ratione disseruerimus.

## §. II.

*Subsellia sua natura in commercio* ecclesiastica, cum cultui diuino inseruant, in commercio priuatorum non prorsus esse posita, vno quasi ore

b) Quod exhibet III. KÜSTNER ad DEYLING. Inst. Prud. Paſt. P. III. c. IX. § 14.

c) Dum totum hoc argumentum secundum iuris civilis obiecta, eiusque

ordinem exponere studer. Idem iudicium fert TITIVS in der Probe des deutsch. geifl. Rechts L. II. c. 3. §. 42. et EGGARD. ad SCHILTE RT Inst. Iur. Can. L. II. T. VII. §. 8 in fine.

ore confirmant DD. Sed an ad res sacras, an ad ecclesiastico-priuatorum  
cas et parochiales sint referenda, non conueniunt. LEY.  
An vero rebus sacris  
SER<sup>d</sup>) cum templi sint partes atque accessoria, prius, BOEH-  
MER<sup>e</sup>) contra posterius comprobat, TITIVS<sup>f</sup>) tandem ea  
ad utrasque pertinere species, contendit. Rem si accuratiōri  
inuestigamus animo, BOEHMERI opinio, tum, quia ecclesia  
lucrum et emolumētum ex horum concessionē plerumque  
habet, tum, quia non absōnum, vt aliud iuris sit in princi-  
pali, aliud in accessorio, et in definiendo rerum pretio sub-  
selliorum nempe praedialium, dum vna consignantur, non  
vero templorum, habetur ratio<sup>g</sup>), preferenda nobis videtur.

### §. III.

Quod vero attinet dominium et proprietatem horum *Dominium*  
sedilium, sicut ea absque parochi atque ecclesiae curatorum *subselliorum*  
consensu, et si litigium, aut res magni momenti circa ista *penes eccl-*  
*obuenit, absque Superintendentis cognitione et Consisto-*<sup>rii</sup> *siam eft, li-*  
*auctoritate<sup>h</sup>) exstrui, resici et immutari, aut in priuatos ad* *cer parochi-*  
*vtendum transferri nequeunt, ita et semper proprietas, et si* *anus ea suis*  
*parochianus suis impensis, suaque materia ea aedificauerit<sup>i</sup>) strui cura-*  
*aut Consistorium, contra naturam iuris subselliorum templi,* *ri. Vfus*  
*liberam* *vero eft suis*  
*gularis.*

### A 3

- <sup>d</sup>) in Spec. ad Pand. XXII. med. 4.  
<sup>e</sup>) in Iur. Paroch. Sect. V. cap. 2. §.  
2. Qui ad stipulatur FLEISCHER in  
Iure Ecclef. Lib. II. cap. XI. §. 120.  
<sup>f</sup>) in Iure Priuat. Lib. IX. cap. 6.  
§. 5.

- <sup>g</sup>) WERNHER in Princip. Iur. Ec-  
cles. Prof. cap. 10, §. 16.  
<sup>h</sup>) HORN Resp. 8. Class. I. KÜSTN.  
ad DEYLING. I. c. §. II. ORD. ECCL.  
SAX. Art. Gen. XXXVI.  
<sup>i</sup>) GRIEBNERI Obs. For. Eccles.



liberam et omnimodam de his disponendi facultatem priuato concesserit, penes ecclesiam manet. Quod ius Ecclesiae competens et ad domum priuatam templi muris adiacentem et contiguam, sed fundo priuato impositam, cum ad subsellium, quod capellae nomine venit, esset accommodata, extendit, et vt eo facto eiusmodi aedes dominio prioris possessoris sit exenta, et, vt accessorium, ecclesiae nunc cedat, respondit WERNHER<sup>a</sup>). Vsum contra, quam ecclesia priuatis his in rebus constituit, nec cum seruitute vslus-fructus<sup>b</sup>), aut vslus<sup>c</sup>), nec cum eo, quem quis ex aliarum rerum ecclesiasticarum locatione conductione habet<sup>d</sup>), vbi-que comparari posse, sed penitus esse singularem, nec promiscuum, et mox liberiorem, mox adstrictiorem, sequen-tia accuratius docebunt.

#### §. IV.

*In concessio-ne subselli-um perso-nae vslus habe-babe-rochianis<sup>e</sup>) et praesentibus singularem impertuntur praero-gatiuam prae exteris et forensibus, qui immobilia in paro-*

Primo in possidendis et acquirendis templi subselliis in-signem personarum respectum obseruant iura, ideoque pa-tro-  
tus<sup>f</sup>) et praesentibus singularem impertuntur praero-gatiuam prae exteris et forensibus, qui immobilia in paro-

- 100 Et RESCRIFT SENAT. ECCLES. c. 2. §. II. TITIVS in Iur Friuat. Lib.  
d. 12 Jul. 1752. apud KÜSTNER. ad IX. cap. 6. §. 6.  
BEYLING. I.C. §. 13. pag. 680.  
k) in Obs. Iur. Sel. 119. P. III.  
l) Quid facit CARPZ. in Iurispr.  
Eccles. Lib. II. Def. 302. SCHILTEK  
in Instit. Iur. Can. Lib. II. Tit. 7. §.  
7. BRUNNEMAN in Iur. Eccles. L. II.
- m) Pro hoc militat WERNH. in  
Princip. Iur. Eccles. cap. IC. §. 23.  
n) Quod placet LEYSERO in Spec.  
CCXIX. med. 4.  
o) BOEHMTR. Iur. Paroch. Sect. V.  
c. 2. §. 6.



7

chia tantum possident.<sup>2)</sup> Alienae religioni addictis<sup>3)</sup>, anciliis et seruis, aliisque ad tempus per breue in parochia commorantibus<sup>4)</sup> ea non adscribuntur. Masculus subsellia feminae, et vice versa non acquirit, nec quilibet plura, quam vnum<sup>5)</sup> tenere potest. An vero inter ipsos parochianos dignitatis et facultatum ratio in adsignandis commodioribus subselliis haberi debeat, in utramque disputatur partem.

BRVNNE MANNVS<sup>6)</sup> arque BOEHMER,<sup>7)</sup> tutius esse in talibus negotiis ecclesiasticis, excepto patrono, personae respectum seponere, existimant, contra BEYER<sup>8)</sup> et WERNHER<sup>9)</sup>, cum locupletiores et honoratores ad sumptus sustinendos, augendasque aerarii ecclesiastici vires, plus conferant, quam pauperes et viliores, illis praerogatiuum, praesertim si alia subsellia in templo haud desunt, inuidendam non esse, rectius contendunt. Quae ratio et mouer, ut inuito licet BERGERO<sup>10)</sup> ciuibus p[ro]pra incolis ius praelationis tribuamus.

### §. V.

Quo vehementius vero VRBANVS II. Papa in aliena-Subsellia interdum gra-  
tionem et venditionem rerum ecclesiasticarum invehitur, et tis, f[ac]tus, contra-

<sup>1)</sup> RESCRIP. El. Sax. d. 19 Jul. 1686. C. A. T. I. p. 867.

<sup>2)</sup> RESCRIP. d. 13 April 1763. apud KÜSTN. ad DEYLING. l. c. §. 17. pag. 691 seqq.

<sup>3)</sup> RESCRIP. CONSIST. LIPS. d. 1 Octobr. 1762. apud KÜSTN. l. c. §. 13. pag. 681.

<sup>4)</sup> GRIEBNERI Obs. Iur. Eccles.

96. Differit WERNH. P. III. Obs. 119.

<sup>5)</sup> in Iur. Eccles. Lib. II. cap. 2.

§. II.

<sup>6)</sup> in Iur. Paroch. l. c. §. 6.

<sup>7)</sup> ad CARPZ. L. II. Def. 369.

<sup>8)</sup> in Princip. Iuris Eccles. l. c. §. 24.

<sup>9)</sup> in Oec. Iur. Lib. II. Tit. IV.

Th. 41. num. 5.



*interveni-  
ente precio  
concedun-  
tur. Prerii  
requisita in-  
uestigantur* contrahentes criminis Simoniae<sup>a)</sup>) accusat, eo mitius de ven-  
ditionibus et locationibus redditum parochialium iudicat  
CLEMENTS V.<sup>b)</sup>) Protestantes licet vsum subselliorum com-  
munium, quae primo occupanti cedunt, et officialium gra-  
tis<sup>c)</sup> permittant, in ceteris tamen subselliorum speciebus pre-  
mium, quod et sub nomine mercedis, pensionis, canonis,  
aut honorarii venit, a possessoribus exigunt. Quae pensio  
vero ea singularia habet, ut modica sit, in determinatione  
vero pretii consuetudo et status parochiae consuli debent,  
medianteque licitatione, ne pauperes a cultu diuino publico  
arceantur, facile non augeatur<sup>d)</sup>, ante acquisitionem et oc-  
cupationem subsellii actualiter solvi<sup>e)</sup>, et ad alendos egenos  
conuerti debeat<sup>f)</sup>)

### §. VI.

*Ius parochi-  
anis in sub-  
sellii perso-  
nalibus com-  
petens est  
singulari, et  
disponendi* Ius vero, quod circa sedilia personalia auditoribus com-  
petit, cum non sit transmissibile atque communicabile, morte  
possessoris, eiusque discessu e parochia, nisi ad breuius  
tempus ea fuerint concessa, exspiret, iisque casibus proximis  
cognoscatur.

<sup>a)</sup> can. 8. Cauf. I. Quaest. 3. Add. cap. 8. 9. 29. 41. X. de Simon.

<sup>b)</sup> cap. I. Clement. de reb. eccles. non alienand.

<sup>c)</sup> Vid. ORD. ECCLES. SAX. Art. XXXVI. Exceptionem tamen saepe confuetudines suppeditare, comprobat KÜSTNER ad DEYLING. l. c. §. 12. pag. 680.

<sup>d)</sup> Confistorium Lips. aliquando tam-  
en inter duos extraneos sine iure

disceptantes licitationem permisisse, refert KÜSTNER l. c. §. 15. pag. 687. Ceterum de augmento mercedis in aliis fundis eccles. locatis faciendo, vid. DECRET. SYNOD. §. Und damit aus. et REVIS. §. 76.

<sup>e)</sup> MANDAT. SENAT. ECCLES. d. 30. Sept. 1729.

<sup>f)</sup> ORD. ECCLES. SAX. Art. Gen. XXXIV. verb. zum Sechsten x.

cognatis ius protimiseos intra mensem indultum sit, aequo <sup>facultate de-</sup>  
esse plane singulare et valde restrictum, quilibet facile intel- <sup>situtum.</sup>  
liget. Parochianum enim de his, nec testamento, nec alia  
vltima voluntate disponere posse, non modo exinde constat,  
quia in iis nullum dominium, sed tantum usus ad dies vi-  
tae<sup>g</sup>) possessoribus concessus, qui per mortem exspirat, sed  
et proximis consanguineis ius protimiseos est datum, eoque  
casu ecclesiae modicum locarium exigere licet, quae vero  
iura tam consanguineis, quam ecclesiae fauentia, ita legando,  
plane interverterentur<sup>h</sup>). Quod et RESCRIP. REG. d. 22.

Mart. 1706 C. A. T. I. pag. 878 verbis: Nun denn aller-  
dings an dem, daß Kirchen Stände durch Testamente und  
andere letzte Verordnungen nicht vermacht werden, oder auch  
die Besitzer sonst darüber mit Bestande disponiren können satis  
confirmat. Ex iisdem rationibus parochianum eiusmodi sub-  
sellia per alienationem inter viuos, ut et post eius mortem  
penes tertium maneant, proprio ausu transferre posse, ne-  
gamus<sup>i</sup>). Quare LEYSER<sup>k</sup>) sententiae, quae omnimodam  
alienandi potestatem eiusmodi possessori, si v. g. emtor soli-  
tum pro mutatione premium aerario solueret, cum heredi-  
bus, iure protimiseos gaudentibus, contractu suo praejudicare

posset

g) Art. Gen. Art. XXXVI.

in der Probe des deutsch. geisl. Rechts

Def. 363. ibidemque BEYER, WERNH.

L. II. Sect. III. §. 22.

P. VI. Obs. 462.

k) in Spec. ad Pandect. XXII.

i) CARPZ. I. c. Def. 362. TITIVS

med. 4.



posset defunctus, tribuit, subscribere non possumus. Consanguinei enim iure protimiseos ex lege<sup>1)</sup> gaudent, quod antecessor iis nullo modo auferre potest. Deinde id ius exercent non tam, quia hereditatem ab intestato delatam adieunt, sed quia defuncti sunt proximi cognati, si quidem et abstinent et repudians hereditatem cognatus, iure protimiseos in subselliis hisce personalibus non priuatur. Quibus adhuc accedit, ut palliatum lucrum ex hoc contractu saepe alienanti obueniat, quod vero serio prohibitum legitur in RESCRIP. REG. ad Consist. Lips. d. 11. Decembr. 1741.<sup>m)</sup> verbis: Wie ihr übrigens davor Sorge zu tragen wissen werdet, daß mit denen Kirch Stühlen Wucher zu treiben durchaus nicht gestattet werde, et omnis desuper alienatio in cit. Rescripto d. an. 1706 sit interdicta et effectu destituta. Sed nunc alia incidit quaestio, anne possessori vsum ad dies vitae in alias vel titulo onerofo, ut venditione, locatione, vel Iucratiuo, vi commodato et precario pro lubitu transmittere, et in subselliis quasi commercari liceat. Quanquam venditionem hanc CARPZOVIVS<sup>n)</sup> locationem TITIVS<sup>o)</sup> LEYSER<sup>p)</sup> commodatum et precarium HORNIVS<sup>q)</sup>, STRYCKIVS<sup>r)</sup>,

<sup>1)</sup> ORD. ECCI. SAX. Art. Gen. XXXVI. DECRET. SYNOD. GENERAL. §. Wenn sich auch Kirchen Stände. Et REVIS. §. 85.

<sup>m)</sup> Apud RÜSTNER. ad DEYLING. l. c. §. 14 pag. 686.

<sup>n)</sup> in Jurisp. Eccles. L. II. Def. 362. n. 9.

<sup>o)</sup> in der Prohe des deutsch. Geistl. Rechts l. c. §. 23.

<sup>p)</sup> in Spec. ad Pand. CCXVIII. med. 4.

<sup>q)</sup> ad SCHILTER. L. II. Tit. VII. §. 7.

<sup>r)</sup> ad BRYNNEM. L. II. cap. 2. §. II.

GRIEBNER<sup>1)</sup> et de ROHR<sup>2)</sup> aliique licitam declarant, nos ta-  
men, tam ob generalitatem LL. Saxoniarum adductarum si-  
ne villa distinctione differentium, quam, cum ius possessoris  
personam non egrediatur, nec illi ullum coepit dominium,  
aut aliud ius in re, illicitum et improbum foenus atque lu-  
crum, dum plus saepe in uno anno percipit, quam pro vslus  
concessione, ad dies vitaे facta, ecclesiae soluit, subeat, pra-  
fertim vero, dum quilibet vnum subsellium tantum tenere  
potest, facto suo, aut contemptum cultus diuini publici pro-  
dat, aut honorarium in casu vacantis subsellii, dum emigra-  
re intendit, aut officiale sedile accepit, ecclesiae adimat, redi-  
tusque ecclesiasticos minuat, eorum sententias amplecti non  
possimus. Interim amico peregrino aduenienti semel atque  
iterum subsellii vsum gratis concedendi, ob cessantes ratio-  
nes possessori facultatem non denegamus. Sicut et alienan-  
tem iure suo, quo gauisus est, cum lex poenalis probari ne-  
queat, non priuamus.<sup>3)</sup> Quod tandem attinet permutatio-  
nem, ea celebratur vel cum ecclesia, quae indistincte li-  
cita<sup>4)</sup> vel cum alio parochiano, et de hac specie S E-  
NAT V S E C C L E S. ad Consist. Lips. d. 4. May 1753 ita  
rescripsit: Wenn zwey Personen ihre zugeschriebene erhaltene  
Kirchen Sitze gegen einander vertauschen wollen, so ist solches

B 2

zwar

s) in Obs. For. Eccles. 98 Disp. cap. V. § 3. Sed vide TITIVM  
i) im Ober Sächsl. Kirchen Recht in Iur. Privat. l. c. §. II.  
cap. IX. § 24. v) ROHR im Ober Sächsl. Kirchen  
u) Dissentit PHILIPPPI in laud. Recht l. c.



zwar ihnen, jedoch anderer gestalt nicht, als auf ihre Lebenszeit, oder erfolgenden Abzug aus der Kirchforth, mithin ohne praecidiz derer beyderseitigen Anverwandten in casum mortis oder mutationis domicilii, zu gestatten, und solches bey der Verbsung und Zuschreibung ausdrücklich mit anzumerken.<sup>x)</sup>

### §. VII.

*Emigratione  
ne e paro-  
chia perso-  
nalia subsellia  
amittuntur.  
Quan-  
de parochia-  
nus emi-  
grat dica-  
tur.*

Quod attinet migrationem ex parochia, qua ius possessoris subsellii personalis aequa exspirat, et ius protimiseos proximis cognatis patet, sciendum est, eam non in sola habitationis mutatione constitui, sed insuper, ut quis animum habeat eo in loco, in quem concedit, perperuo commorandi, ad eius indolem requiri.<sup>y)</sup> Quare si quis reipublicae, studiorum, militiae, mercatura et operarum causa aliquando discedat, animum vero habeat redeundi, aut propter vrgens aes alienum parochiam relinquat, aut praedium alibi conduceat,<sup>z)</sup> aut ad tempus v. g. per decennium relegetur, aut apud cognatos versetur, subsellio, quo gauifus est in parochia derelicta, haud excidit, sed ei seruatur, ita tamen, ut ipsis non, sed proximo cognato, et hoc deficiente, aut nolente, etiam extraneo, si hic declarat, velle se isti in parochiam redeundi cedere, adscribatur, et ab ecclesia locetur.<sup>a)</sup> Sed

nunc

x) RÜSTN. ad DEYLING. l. c. §. 14. pag. 686.

y) HORN. Obs. Iur. Eccles. circa iura patronatus, subselliorum in temporibus etc. cap. 3. n. 5.

z) Ita saepe CONSISTORIUM LIPSIENSE rescripsisse testatur RÜSTER ad DEYLING. l. c. §. 17. pag. 691.

a) Vide RESCRIFT. REG. ad Consist.

nunc maior suboritur dubitatio, an et femina viro, alibi domicilium habent, sive clero, sive laico, nupta, domicilium ita mutauerit, ut sedile acquisitum amittat. Quamvis WERNER<sup>b)</sup> HORN<sup>c)</sup> et BERGER<sup>d)</sup> quaestionem indistincte affirmauerint, eam tamen BERGER<sup>e)</sup> et KÜSTNER<sup>f)</sup> negant, et usum, durante absentia, ut antea dictum, suspendi consent. Cum quaelibet sententia rationibus nitatur grauisfimis, obseruantias locorum optimam hic suppeditare decisionem existimamus.

### §. VIII.

Discrimen inter bona ecclesiastica locata atque templi *Quid circa ius protimis*  
subsellia concessa, et esse maximum, praeter alia et ex iure *seos a con-*  
*sanguineis*  
protimiseos constat. Quem ad modum in illis penitus exu-*of foruati-*  
lat, nec huc L. 4. C. de Locat. praed. ciuitat. trahenda est<sup>g)</sup>,  
ita possessoris subselli personalis cognatis proximis, non  
vero affinibus<sup>h)</sup>, non modo in casu mortis et emigrationis<sup>i)</sup>,

B 3 sed

- Consist. Lipsi. d. 6 Febr. 1730. er. d. e) in Oec. Iur. Lib. II. Tit. IV.  
II Febr. 1732. Quae declaratio huius Th. 41. n. 6. et in El. Disc. For. Sup-  
noui possessoris et in ipsa schedula af- plem. P. II. pag. 87. seqq.  
signationis simul annotanda est vi re- f) ad DEYLING. l. c. §. 17.  
SCRIPT. REG. d. 11. Decembr. 1741. pag. 690.  
Quorum Rescript, verba exhibet KÜST- g) BOEHMER in Iur. Ecclef. Prot.  
NER. l. c. Paulo alter se res haber Lib. III. Tit. 18. §. 6. WERNER. P. III.  
secundum Ordinat. lenientem de tem- Obs. 105. BERGER. in El. Disc. For.  
pla subsell. §. 18. quam hic consule. Suppl. P. II. pag. 777.  
b) in Obseruat. 119. P. III. et Prin- h) BERGER in Oec. Iur. l. c. n. 3.  
cip. Iur. Ecclef. cap. X. §. 22. i) ORD. ECCL. SAX. Art. XXXVI.  
c) in Obs. Iur. Ecclef. circa iur. DECRET. SYNOD. Reuif. §. 85. RE-  
patr. subsell. in templ. l. c. SCRIP. d. 19. Jul. 1686. C. A. T. I.  
d) ad CARPZ. Lib. II. Def. 364. pag. 867.

¶ ¶ ¶

sed et resignationis <sup>k)</sup>) et in plerisque reliquis subsellia amittendi modis, intra mensem, praefito laudemio modico, tribuitur. Ceterum hic non ius agnationis aut cognationis differentiam facit <sup>l)</sup>, sed si plures uno gradu sunt constituti, sortis arbitrio res reliqua <sup>m)</sup>, ad quam et ii, qui subsellio iam gaudent, admittuntur, si post occupationem huius subsellii illud ecclesiae resignent. Quo facilius vero fatalis initium in casu mortis, quo reluere debent cognati subsellia, determinari potest, eo difficilius erat, initium definire, quo exerceatur ius protimiseos in casu migrationis et resignationis <sup>n)</sup>. Sed haec difficultas in RESCRIP TO SENATVS ECCLES. ad Consist. Lips. d. 4. May 1753. emissō hisce depellitur: daß wenn jemand einen Kirchen Stuhl der Kirche resigniret, und keinen andern davor zugeschrieben bekündet, alsdenn solches durch einen öffentlichen Anschlag an denen Kirch Thüren der Kirchfarth bekannt gemacht, und denjenigen, so der Anverwandtschaft halber, hierzu ein Besugniß zu haben vermeynen, binnen 4 Wochen a tempore affixionis sich hierzu sub poena paeclusi behdriegen Orts zu melden, und zu legitimiren nachgelassen, und wenn binnen folcher Zeit sich hierzu kein Anverwandter meldet, sodann der Stuhl oder Sitz an ei- nen

<sup>k)</sup> RESCRIP TO SENATVS ECCLES. ad Consist. Lips. d. 4. May 1753. apud KÜSTN. ad DEYL. I. C.

§. 14. p. 685.

<sup>l)</sup> BEYER ad CARPZ. L. II. Def. 307.

<sup>m)</sup> arg. L. 3. pr. C. Commun de Legat

<sup>n)</sup> BEYER ad CARPZ. L. II. Def. 364. qui suo tempore hac de re Principis expectauit decisionem.

nen fremden zu erst sich meldenden weiter verloset, die Unverwandten aber, so sich nicht solchergestalt gemeldet und legitimiret, sodann auch auf den Todesfall des vorigen Besitzers ihres gehabten Rechts gänzlich verlustig geachtet werden sollen. De eo tamen adhuc sub iudice lis est, a quo tempore maioribus demum factis, qui in minorenitate ius protimiseos exercere neglexerunt, et hinc restituuntur, fatale reluendi 4. Septimanarum currat, vtrum a tempore maioresnitatis consecratae, an elapsi quadriennii restitutionis in integrum. Prius ob Clem. vnic. in fine de integr. restit. defendit PHILIPPI<sup>o</sup> ( ), posterius contra plerumque obseruari afferit KÜSTER<sup>o</sup> ( ).

### §. IX.

A commercio sedecularum personalium progredimur *Quale ius ad officilia sedilia, quae certis personis, officii intuitu, destinata sunt. Quem ad modum vero sumtibus officialium, aut aerarii publici, non autem ecclesiae, cum pro his nil percipit,<sup>o</sup> tum exstruuntur, tum resciuntur, nisi pactum, vel consuetudo contraria ostendi possit,<sup>r</sup> ita usus muneri personae inhaeret, nec diutius, quam officium, durat. Quare ea nemini officialium, oblato licet honorario, ad dies vitae concedi*

<sup>o</sup>) in Disp. laudat. cap. 4. §. 9.

<sup>g)</sup> ORD. ECCLES. SAX. Art. Gen. XXXVI.

<sup>p</sup>) ad DEYLING. I. c. §. 16. Pag. 688.

<sup>r)</sup> HORN ad SCHILTER. Lib. II. Tit. 7. §. 6.



concedi queunt, sed seposito officio, vsus exspirat, et ad successores munjeris transit, nec ad alios, hac dignitate destitutos, quicquid dicat TITIVS,<sup>1)</sup> vlo modo transferri potest, nec redemptioni heredum, vi iuris protimiseos, hic locus est.<sup>2)</sup>

### §. X.

*Maior dif-*  
*ponendi fa-*  
*cultas in be-*  
*reditariis, familiariis et praedialibus data est potestas*  
*familiari-*  
*bus et pae-*  
*dialibus con-*  
*cessa. Com-*  
*munia ho-*  
*rurn recen-*  
*setur. Dif-*  
*ferentia spe-*  
*cifica here-*  
*disariorum.* Longe maior vero contrahendi, disponendique de sellis hereditariis, familiaribus et praedialibus data est potestas extraordianiam, non praesumuntur, sed ab allegante probari debent. Constituuntur quoque non modo pacis et conventionibus inter eorum structores, vel possessores, et ecclesiae curatores celebratis, quae a Consistorio specifice sunt confirmandae,<sup>3)</sup> sed et per praecriptionem, hic tamen requiri, ut quis per quadraginta quatuor annos, si simul restitutio integrum excludatur, possederit subsellia, tanquam hereditaria, probe obseruant BOEHMER.<sup>4)</sup> Ita et illae tres sedilia species in eo conueniunt; ut pars aliqua dominii iuris,<sup>5)</sup> quod potissimum in vsu consistit, ad personas certas transeat,

<sup>1)</sup> in der Probe des deutsch. geissl. Rechts Lib. II. Sect. III. §. 19. et Iur. re Privat. L. IX. cap. 6. §. 10.

<sup>2)</sup> CARPOV. in Iurispr. Ecclesiast. Lib. II. Def. 370.

<sup>3)</sup> RESCRIP. REG. ad Consist.

Lips. d. 12. Jul. 1752. apud KÜSTN. ad DREYLING. l. c. §. 13. pag. 680.

<sup>4)</sup> in Iur. Paroch. Sect. V. cap. 2. §. 7.

<sup>5)</sup> GUNDLING im allgemeinen geissl. Recht Tom. II. p. 1988. add.

transeat, et certus census, aut canon annuus, aut pretium redemtionis in casu mutationis<sup>2)</sup> imponatur, reluitio vero ad certum tempus v. g. quatuor hebdomadum, vti in personalibus, non adstringatur.<sup>3)</sup> Ceterum hereditariorum selliorum ea est natura, vt ad quoscunque heredes, siue patios, siue testamentarios, siue legitimos ultimi possessoris transgrediantur, nisi aliud in formula pacti cum ecclesia initi contineatur. Cum igitur possessor de his in ultima voluntate testari possit, non temere quaeritur, anne, si possessor in omnibus bonis suis, tam mobilibus, quam immobilibus, heredes in testamento instituit, sub hac clausula generali, et sedilia hereditaria comprehendantur, an vero speciali et expressa de his sellis transferendis mentione opus sit. Quamvis priorem sententiam iuris nostri regula: *Qui dicit, omne, nihil excludere,*<sup>4)</sup> confirmare videatur, nihil secius tamen, cum hic in materia contra leges introducta, et hinc stricte interpretanda versemur, eaque iuris regula, vti quam plurimis abundat exceptionibus, ita et hic officium suum perdat, et vasallus, cui testari de feudo permisum, specifice

2) Quoad familiaris dissentit TITIVS in der Prob. des geistl. Rechts l.c. §. 21. Sed vid. HORN, ad SCHIL-TER. l.c. §. 6.

2) KÜSTNER ad DEYLING. l.c. §. 13. pag. 684.  
3) L. 68 ff. de Legat. III. L. 29. ff. de hered. inst.

C



et nominatim illud heredi relinquere teneatur,<sup>b)</sup> posterior  
KÜSTNERO,<sup>c)</sup> nobisque perplacet. Ex eadem ratione cum  
hic de re stricte interpretanda agatur, opinioni TITI<sup>d)</sup> atque  
LEYSERI<sup>e)</sup> quod is, qui subsellia hereditaria tenet, de iis  
quoque inter viuos disponere queat, assensum nostrum praebere  
non possumus, si quidem id, quod mihi licet in ultima  
voluntate, non in actu inter viuos semper permittatur,  
et in capitibus non exceptis naturam sedilium personalium  
sequamur. Interim negandum non est, subsellia a Consistorio  
et ita concedi posse, ut inter viuos alienari queant,  
quoitamengcasu verbis expressis et claris opus est, et licet  
praeter GRIEBNERVM<sup>f)</sup> WERNHER<sup>g)</sup> existimer, huiusmodi  
conventiones, cum legibus publicis repugnant, esse invalidas,  
contrarium tamen in foro obtinere, exemplo subsellii  
alienabilis, quod creditores possessoris ad concursum voca-  
runt, comprobat KÜSTNER.<sup>h)</sup>

*In doles fa-*  
*miliarium,*  
*es de iis dif-*  
*cundum proximitatem gradus, nec ullum inter agnatos et*

- b) II. Feod. 26. §. in generali.
- c) ad DEYLING. I. c. §. 16 p. 689.
- d) in Iure Privat. I. c. §. 10.
- e) ad SCHILTER. L. II. Tit. 7. §. 6.

- f) in Sel. Obs. Eccles. 99.
- g) P. III. Obs. 119.
- h) ad DEYLING. I. c. §. 13. p. 682.

cognatos discriminem, etenim in sedile masculi, masculus, sicut *ponendi p-*  
*testas.*  
 mulier in sedile femininum succedit. Sic et obseruatur suc-  
 cessio legitima iuris civilis, pariter ac Saxonici, v. g. ut  
 vnilateralis frater vno gradu remotior habeatur. Si de com-  
 moditate et melioribus locis disceptatur, secundum gradus  
 proximitatem a fundatore computandam, controuersia di-  
 rimenda.<sup>1)</sup> Affines non obstante L. 5. C. de Verb. et Rer.  
 Signif. penitus excluduntur,<sup>2)</sup> et extranei dissentiente vel  
 vno ex familia, cum in re communis potior sit prohibentis  
 conditio, intrare prohibentur, vnde ne quidem paedagogi  
 simul cum liberis admitti.<sup>3)</sup> Quod reliquum est a KÜSTNERI<sup>4)</sup>  
 opinione, ac si omnium consanguineorum consensu  
 eiusmodi subsellia in extraneos valide alienari possint, cum  
 contra formulam concessionis sit concepta, et consanguinei  
 si non adsunt, ecclesiae haec sedilia cedant,<sup>5)</sup> recedimus,<sup>6)</sup>  
 nec DECISIO REG. X. d. an. 1746 ob disparitatem rationis  
 illam hic confirmare poterit. Patrem tandem, qui famili-

## C 2

are

## IRIX

i) KÜSTNER ad DEYLING I. c. pulchrorum familiarium et hereditario-  
 rum eorundemque illicita, non omni-  
 bus consentientibus, divisione alienae  
 alienatione. Lipf. 1739.

k) ILL. HOMMELIUS in Rhaps. l. 1. cit. §. 13. pag. 682.

lur. Obs. 236 et 240.

j) KÜSTNER loco ante citato.

m) ad DEYLING I. c. §. 13. pag. 684. Quod et de sepulchris assertit  
 c. l. MENCKEN, in Disp. de iure se-

n) BOEHMER. in Iur. Paroch. I.

cit. §. 6.

o) Quod et TITIVS in Iure Pri-



are sedile possidet, hoc vni ex liberis, exclusis reliquis, et iam testamento, assignare posse, defendit **TITIVS<sup>3)</sup>**.

§. XII.

*De realium subsellia certis aedibus, praediis et fundis adscripta, cum re ipsa ad quemuis possessorem transeunt, separatim vero alienari nequeunt. Vnde et in ORD. MAGDEBVRG. ECCLES. c. 24. §. 4. statutum: Dass wenn die Stühle von denen Häusern veräußert, dieselbe wieder darzu gebracht werden sollen. Quem ad modum vero hic iterum sine omni fundamento dissentit **TITIVS<sup>4)</sup>**, ita ecclesiae non suadendum, vt ista subsellia, cum fere nunquam ad ecclesiam redeant, quamdui iste fundus exstar, priuatis concedat. Quare et in ORDINAT. IENENS. de Subsellis Templi §. 10. dispositum: Jedoch sollen hinfort keine neue erbaute Kirchstände zu den Häusern geschlagen werden.*

§. XIII.

*De modis templi subsellia amittendis. Quo magis vero ius possessorum templi sellarum pro earum diuersitate variat, eo plures et sunt modi, quibus id amitti*  
*p) in der Probe des deutsch. geisl. Rechts l. c. §. 21. q) in Iure Privato l. c. §. 10.*

amittitur. Morte, discessu e parochia, spontanea resignatione, abusu, praescriptione, defectu heredum atque familiæ, interituque fundi priuati totali haec sedilia ad ecclesiam redire, maxima ex parte ex hac tenus dictis colligi potest. Sed maior certe dubitatio suboritur, an interitus templi et modum amittendi suppeditet, vt si iterum ab incendio et ruina restituatur, nouaque subsellia construantur, ea denuo a pristinis possessoribus sint reluenda? Quod sine adducta ratiœ vlla ratione negat TITIVS<sup>r</sup>) sibi, nobisque persuadens, ipsum ius in templi sedeculis, eo diruto, quasi quiescens, restituto vero eo, reuiuscere, templique interitum non tam tollere ius, quam hac tenus saltem inefficax reddere. Contra PHILIPPI,<sup>s</sup>) ECCARD<sup>t</sup>) et ILL. HOMMELIVS<sup>u</sup>) affirmatiæ sententiae simpliciter accedunt. Rem si paulo accuratori contemplatur animo, varia sunt, quae negatiæ sententiae ad stipulari videntur v. g. vt ecclesia possessori personalis subselliæ ad dies vitae ius utendi sedilibus promiserit, locariumque ab eo acceperit, possessor in hoc, cum dominio sit substitutus, noni, sed ecclesia, vt domina, ca-

tendi. Et an  
interitus  
templi ad il-  
los refera-  
tur, ei binc  
subsellia de  
nono sicut re-  
luenda.

C 3

sum

r) in Iur. Priuat. Lib. IX. c. 6.      t) ad SCHILTERI Inst. Iur. Can. Lib. II. cap. 7. §. 8. n. 13.

s) in Disp. de Templor. subselliis cap. V. §. 3. in fin.      u) in Epitome Iuris Canonici, quod sub nomine CVERTII ANTONII prodiit Lib. III. cap. II. §. 4.



sum ferre debeat, sellas templi hereditarias, familiares et praediales possidentibus, dominium tribuatur, quod non, nisi cum ipsa area, exspiret, sed effectus suos et in futurum exserat. At enim vero, cum ius quod possessoribus competit in corpore consistat, quo sublato, et illud tollatur,<sup>v)</sup> deinde in contractu ecclesiae cum possessore inito, tacita, si saluum maneret atque superstes templum, insit clausula, tum pecunia pro vsu ad dies vitae concessa admodum sit modica, nec vllam fere habeat cum indulto vsu proportionem, dominium quoque subselliorum hereditariorum, familiarium et realium se non ad templi aream extendat, nec in proprietate consistat, sed, vt DD.<sup>w)</sup> afferunt, improprium, quod non in re ipsa, sed tantum in usu sedilium constitutur, aequumque sit, ne parochiani in tanta calamitate et ecclesiae impendiis in exstructionem sellarum erogatis, honorarium per se exiguum pro assignatione sellarum recusent, non possumus non, quin in sententiam affirmatiuam pedibus eamus. Interim tamen aliquando a pristinis possessoribus dimidium tantum pretii hoc casu acceptum fuisse, edocet RÉSCRIPTVM CONSIST. LIPS. ad Superint. Eilenb. d.

31.

<sup>v)</sup> Conf. Princip. et §. 3. Inst. de  
Vslfr. L. 2. et 53. ff. eodem L. 10.  
§. 1. et L. 24. ff. quibus modis anuit.  
Vslfr.

<sup>w)</sup> ECCARD. ad SCHILTER I. c.  
num. 5. WERNH. Princip. Iur. Eccles.  
cap. X §. 14.

31. Ianuar. 1731. cuius verba exhibet KÜSTNER<sup>z)</sup> sed qui simul probe monet, pro rerum circumstantiis ita tantum esse iudicandum. Simili quoque ratione parochiani nec conquerendi, si ob maiorem commoditatem subsellia fuerunt commutata, nec contendendi causam habent, ut eo ipso in loco, quo antea erant collocata, ipsis noua subsellia iterum aedificantur, cum commodum et utilitas totius ecclesiae priuatum commodis praeferri debeat.

<sup>z)</sup> ad D E V L I N G. 1, cit. §. 17. pag. 692.






**ULB Halle**

005 361 745

3







8703.

Q. D. B. V. 29

DISPVATATIO IVRIS ECCLESIASTICI  
DE  
SVBSELLIORVM ECCLESIASTICORVM  
COMMERCIO

---

P V A M  
P R A E S I D E  
C H R I S T I A N O   G O T T L I E B  
H O M M E L I O   D.  
TIT. DE VERB. SIGNIF. ET REGVL. IVR. PROF. PVBL.  
ET FACVLTATIS IVRID. ASSESSORE  
IN AVDITORIO MAIORI  
DIE XXVII. OCTOBR. A. S. R. C I C I O C C L X I X  
T V E B I T V R  
A V T O R  
J O A N N E S   G O T T H O L D   S P A L T E H O L Z  
P I R N A   M I S N I C V S.

---

V I T E M B E R G A E  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACADEMIAE A TYPIS.